



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

Ludouico XIII. Franc. Et Navar. Regi Christianissimo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846



Ludouico XIII.
FRANC. ET NAVAR. REGI
CHRISTIANISSIMO.



QVOD olim, DOMINE,
Xenophonteus Cyrus
innuebat, venationem
inter laudatissimas prin-
cipū oblectationes præ-
cipuam censi oportere, id ipsum
HENRICVS MAGNVS
exemplo nuper efficacissimo com-
probavit: & rerum bellicarum scien-
tissimus imperator, inter potissima pa-
cis otia venationem esse duxit, quæ
plurimum haberet vigilantia fortitu-
dinis prudentiaque militaris. sic illi
semper animus in procinctu: sic foris

ã iij

vbique terrorem sparferat: sic domi
pacem colebat armatus. Est enim ea
recordatio iucundissima, quum is tibi
nondum annorum, qui solent in cete-
ris hominibus inertis pueritiæ deputa-
ri, dispositis in tabula sigillis argenteis
in militarem habitum formatis figu-
rastacticas peritissimè commonstra-
bat: mox per viridariorum amfractus
feram aliquam in hoc seruatam ver-
tagis acriter incitatis teipso instante &
notis vocibus adiuuante fatigari sum-
ma cum voluptate spectabat. nimi-
rum, inter adorias & triumphos tanti
natum heredem imperij per generosas
exercitationes heroicis artibus exco-
lendum princeps sine exemplo maxi-
mus patria simul & regia cogitatione
prouidit. Itaq. iure fecisse videor, qui
hocce scripti genus maiestati tuæ di-
care augustissimoq. nomini nuncu-
pare sum ausus. etenim venatica tra-
ctatio est; & rei quidem accipitrariæ,

qua venationum omnium nobilissima constat. Ea scilicet arte valentissimarum auium quamuis feram naturam, & ab humana toto pæne aëre distinctam, sic nobis parere assuefacimus, vt iam illæ non solum canum latratus, equorumq. hinnitus non expauescant, sed & voces nostras intelligant, & quo iussæ sunt volantes, prædam in aëre in ipsisque nubibus quaesitum eant alacres, & aduersus repugnantem, etiam cum vitæ periculo, nec dubio gloriæ sensu dimicent; tandemque aut falcatis vnguibus correptam ad dominos adferant, aut alarum verbere conterritam in canum insidias præcipitare compellant. id vero dignum strenuo duce, dignum rege spectaculum: cuiusmodi si Romani vnquam spectassent, illico circum & amphitheatra deseruissent. Verum illis terrestrium tantum ferarum nota erat venatio; & vix ea quidem

fortis, quæ sagacitate canum equorumq. pernitate rem agit, sed planè imbellis, quæ retib. & pantheris cæco veluti latrocinio grassatur. ideoq. magnanimis & nobilib. viris minime frequentata. aëriam vero, & Græcis, qui terrestrem apprimè callebant, prorsus incognitam fuisse planissime significauit Aristoteles, qui, quod tēporib. illis ferebatur, Thracū pueros, societate cum accipitrib. inita aucupari solitos, portentosum esse cēfuit ac prope incredibile: quamuis eadem pæne de Indicis aquilis Ctesias tradidisset. quæ autem de accipitrē aucupum famulo Martialis, deq. circaneis auibus. vetères Latinæ linguæ magistri notauere, ixeutica sunt; qualia Oppiani & Nemesiani in quibusdam bibliothecis adseruantur; neque ad rem accipitrariam pertinent, sed potius ad fraudulentum aucupium, quod illectas auiculas superfus

sis

sis retibus solet includere, aut viscatis
virginis intricare. in glorium id quidem
& vile, nec immerito Platonis legibus.
ut sordidum & illiberalis otij nego-
tium interdictum. res autem accipi-
traria non ante Iulij Firmici, Sollijq.
Sidonij tempora, hoc est, sub Con-
stantino & Theodosio AA. in quasi
militarem disciplinam redigi cepit;
neque est facile reperire vetustiores,
qui de legitimis falconum asturum
accipitrumq. proelijs meminerint. ab
iis vero temporibus in europalatina
matricula plerosq. artifices sub pro-
tohieracarij dispositione censitos fu-
isse animaduertimus. mox & artem
ipsam libris comprehensam; quorum
antiquissimus habendus is qui sub
Demetrii Constantinop. nomine pri-
mus apparet. nam qui secundus ap-
pingitur, longe sequioris stili & re-
centioris esse videtur auctoris; for-
tean Phenonis illius, quem aiunt in

Augustana Vindelicorum bibliotheca reperiri. nisi quis malit hoc nomine citare auctorem semibarbaræ ad Michaëlem Palaeologum scriptiunculæ, quam heic etiam edimus, vnà cum alia eiusdem argumenti ab Catalanico Romanensi quodam ambitiosis Aquilæ Symmachi & Theodotionis ad Ptolemæum titulis, non minus falso, quam arroganter inscripta. digna hæc tamen visa est quæ adderetur; quum haud pauca contineat rei accipitrariæ præcepta utilia, quæ Albertus Magnus operi de auium natura passim adtexuit, & vetustissimorum auctorum esse adfirmavit, deceptus inscriptionis mendacio. cuiusmodi fraudem ab alijs quoq. vsurpatam suspicari licet: & plerosque consimilium scriptionum auctores, quo maiorem scriptis suis auctoritatem & gratiam conciliarent, priscorum ac nobilissimorum

nomina apposuisse pro suis. indeque
illa fluxisse hieracosophia, orneoso-
phia, atque etiam cynosophia, quæ
Apollinis, Phenonis, vel potius Phœ-
monoes, Vlyssis, Alexandri, Macha-
bæi & Ptolemæi nominibus indige-
tantur. quæ vt vana esse demus & ri-
dícula, tamen illa non mediocriter
laudanda quæ de venaticis auibus
maximus Imp. Fridericus I. eiusque
filius Manfredus Siciliae rex, Phœbus
Gasto Foxiae Comes, Belisarius
Aquiuius Neritiorum Dux, P.
Lopesius Aiala, Artelucius Alagona
Marauequius, Moamus Arabs, Fri-
dericus Georgius, Franciscus Sforzi-
nus Caracanus, & Ioannes Fran-
cherius litterarum consignauere mo-
numentis. vnum ad consummatissi-
mam totius artis gloriam deesse vi-
debatur; quod cuius versibus æter-
nitati consecraretur nacta fuerat ne-
minem; quum id xxxv. abhinc ann.

aureis illis tribus de re accipitraria
libris cumulatissime præstitit Thua-
nus ; ille inquam Thuanus, quem
inter proceres regni consiliarios ma-
iestati tuæ assidentem boni omnes
suspiciunt & venerantur. Pátere
igitur, DOMINE, vthoc etiam arti
tot præstantium virorum ingenijs
celebratæ decus accedat, quod, qui
vetustissimi illius reperiuntur aucto-
res, sub tui principatus auspicijs ex
Medicea tua bibliotheca prodiisse di-
cantur: cunctiq. intelligant, non abs-
re gentem illustrissimam gloriari, sese
dedisse Galliæ reginam, cuius tutela
prudenti iuxta ac felici, post acer-
bissimum funus pace fouemur altissi-
ma; dedisse item instructissimam bi-
bliothecam, vnde, si bona nostra bene
nouimus, innumera in dies promi-
queant tam beatæ pacis ornamenta.
CAL. viibr. cio. idcxI.

N. M. Q. T. deuotissimus N. Rigaltius.

5